



LIBER

V. 510

admitte quærimoniam meam, et ex tua promissione
verum celestem instrues, os loquens mihi,
contradictore, aut resistere neque
fur in conspectum tuum supple.
dures tuas perueniat. libera
um recepsisti, ab omni periculo,
is, saluum seruas, et incolumem.

III. IIII.

Quæstabunt labia mea
Inscueris me iustificatione
pronunciabit lingua
psuum: quia

animi promissio, vtrōdo
me Domine, et verbi
in explic
abra quæ
abra quæ
non erit certe vllum
is benefi
m, nisi d
osuo. am
VI. VII.

mandata tua vt saluet me: quod
mandata tua elegi.

incubini salutare tuum Domine

Handwritten text in a different script, possibly a marginal note or a different dialect.

Quare Deus inuocandus. Vt animo, et cogitatione doct
firnam celestem comprehendere, et pure, ac sincere alijs ex
plicare possim, sublatâ voce clamorem ad te edo. Quare tueri me
et defende: vt de tuorum decretorum præscriptionibus viam
et mores gubernare queam.

III. IIII.

Præueni in immaturitate &
maui: quia in verba tua superpera
Præuenerunt oculi mei ad re
culo, vt meditarer eloquia tua.

Quo ardore animi, quæ est fides, à circumstantia
ris. Antelucanis horis euigilans, ortum solis quiritat
præuerto, omnem spem meam, præsidiumq; in tuo ver
hens. Nondum cum vaga celo sidera fulgens aurora fu
stulum relinquo, vt mediter verbum tuum: deq; tuis m
ad curæ me commisso sermone habeam.

V.

Vocem meam audi secundum
fericordiam tuam Domine: & secun
dum iudicium tuum viuifica me

Cuius fiducia orandum, non videlicet vllius vi
meriti, quod ab opibus nostræ naturæ proficisci potest.
tum misericordiae, et clem
ta peccata, inquit Ambrosius
implorantis tuam
tam mihi hanc quam
ex hominibus

Handwritten text in a different script, possibly a marginal note or a different dialect.

X.
POSITIONES THEOLOGICÆ 325
De
RESURRECTIONE CHRISTI,

Quas
Sub Auspicijs Sacrosanctæ & Individuæ Trinitatis,
In Electorali ad Albim Academia,

PRÆSIDE
Reverendo, Clarissimo & Excellentissimo Viro,
DN. BALTHASARE MEISNERO,
SS. Theolog. Doctore ac Pro-
fessore publico,

Ingenij excolendi gratia tuebitur
JOHANNES NICOLAI
Vratislaviensis.

Addiē 4 Aprilis, horis locoq; consuetis.

VVITTEBERGÆ,
E Typographéo Johannis Richteri,
ANN O M. DC. XVI.

RESURREXIT
IN CHRISTI

Dr. Balthasar Meissner
Theolog. Doctor ac Pro-

JOHANNES NICOLAUS

Typographo Johannis Richter

...id quod dicitur
...es me dicitur
...quod dicitur





De
RESURRECTIONE
CHRISTI.
POSITIO I.



Tempori servendum est, secundum Authenticam Apostoli, Rom. 12. v. 11.

II.

Repetit autem hoc anni tempore *Ecclesia* historiam de gloriosa unigeniti Filij DEI, Domini nostri *Jesus Christi, Resurrectione.*

III.

Si ergo, posthabitis *Quaestionibus* alijs, hanc ipsam materiam, quippe quae caput est nostrae salutis, ad piam ac placidam *συμφιλολογίαν* proposuerimus, rectissime nos facturos arbitramur.

IV.

Quod ne *ἀμεθόδως* fiat, sequentibus eam *σωθῶ* inclusam dabimus *Aphorismis.*

APHORISMUS I.

CHRISTUS resurrexit.

V.

Quin *Christus* verè à mortuis resurrexerit, in *Ecclesia Dei* nunquam fuit dubitatum.

VI.

Neg, laus fidei Christianorum est, quod credunt, Christum mortuum, sed quod credunt, Christum resurrexisse. Mortuum & paganus credit:

A 2

328 credit: credere verò Christum resurrexisse, hac laus est fidei, scribit Augustinus lib. 10. contra Faustum Manich. cap. 29.

VII.

Et quid ni crederemus? Adsunt testes clarissimi, qui nos de ea reddunt certissimos, cœlestes pariter & terrestres.

II X.

Cœlestes duo sunt Angeli, induti stolis albis & fulgurantibus. Luc. 24. v. 4. Job. 20. v. 12.

IX.

Matthæus cap. 28 ver. 2. & Marcus cap. 16. ver. 5. unius duntaxat meminerunt.

X.

At nulla hinc emergit ἀντιλογία. Duo fuerunt Angeli: sed alter duntaxat illorum, promulgabat ad mulieres Concionem, de Resurrectione Domini, communi tamen utriusq; nomine.

XI.

Hujus itaque Angeli præconis principaliter meminisse voluerunt Matthæus & Marcus, minimè interim excludentes alterum hujus socium, qui à cæteris introducit Evangelistis.

XII.

Terrestres testes sunt partim sancti homines, partim profani & impij.

XIII.

Ex sanctis imprimis nominantur mulieres, quæ unguendi corporis causa accelerantes, præter spem & expectationem primæ sunt resurrectionis testes.

XIV.

Impij testes sunt ipsi milites, vel custodes, qui nondum pecuniâ corrupti veritatem minimè celabant, sed rem potius omnem, ita ut sese habuerat, liberè nunciabant.

XV.

Corrupti etiam nummis benè multis, ne sic quidem opprimere poterant veritatem: siquidem commentum illud Phariseorum multis modis sibi non constabat.

XVI.

329.

Si enim, *ut ajunt*, custodes dormierunt, unde amabo scire poterunt, discipulos venisse, & tale quid perpetrasse?

XVII.

Et quia vigiles circumfusi jacebant ad lapidem monumenti, qui poterant discipuli rem tantam, tamque arduam moliri, & lapidem illum grandem removere, & corpus defuncti eximere, ut inter istius laboris turbas atque strepitum milites non evigilarent?

XVIII.

Et quis tandem fuisset iste lethæus sopor & stupor, ut ad unum omnes ita dormissent, nec quisquam illorum vigilasset?

XIX.

Adhæc, num imbelles Apostoli ausi fuissent tale quid moliri, sedentibus ad sepulcrum viris armatis?

XX.

At constat, ita fuisse metu percussos, ut se abderent, & ne pedem quidem extra conclave, quo se concluderant, proferre audent.

XXI.

Quin imò, illo ipso commento profitebantur, corpus pridie sepultum jam jam à sepulcro abesse.

XXII.

Adeò verum est illud: *Mendacium tenue est, statim per lucet.*

XXIII.

Quod ergò *Judeus in Judea obscurabat auro, id in toto mundo claruit fide.*

XXIV.

Exultet proinde universus mundus: *Christus resuscitatus, vivit DEUS beatus.*

APHORISMUS II.

CHRISTUS resurrexit die tertiâ, summo mane, ante Solis exortum.

A 3

25. Ad

Ad evidentiorē historię fidem non immeritò consideran-
tur *ἑσπέραις*: Quando videlicet & quo tempore Christus à mortuis
resurrexerit?

XXVI.

Resurrexisse autem Christum, Servatorem nostrum, die tertiā,
affirmant unanimiter Symbolum Apostolicum, Nicenum & A-
thanasianum.

XXVII.

Idq; juxta expressa ipsius Christi vaticinia, *Matth. 12. ver. 40.*
Luc. 18. ver. 33. Job. 2. ver. 19.

XXIX.

Id quod nos quoq; ex ijsdem firmiter credimus & confitemur.

XXIX.

Quod verò, teste historiā Evangelicā, die Parasceves, circa
vesperam demum humatus, & mox primā Sabbathorum resusci-
tatus, ac proinde unum duntaxat diem, & duas saltem noctes in
sepulcro commoratus dicitur, κατὰ συνειδόχην dicitur, sumto
fine primi, & initio tertij diei pro diebus integris.

XXX.

Occurrit porro tempus, ex quo horam resurrectionis Christi
estimemus.

XXXI.

His autem verbis expressum extat ab Evangelista Matthæo
cap. 28. ver. 1. ὄψε σαββάτων τῆ ἑπταήμερον εἰς μίαν σαββάτων:
Vesperā Sabbathorum lucescente in unam Sabbathorum: seu, ut Para-
phraistes Latinus reddidit; *extremo Sabbatho, cum lucesceret in pri-
mum diem hebdomadis.*

XXXII.

Ubi vocabulum Græcum ὄψε, serò vel vesperi, non ut aliàs de
fine diei, sive die deficiente accipiendum, sed pro nocte retroce-
dente, & jam diei crepusculo illucescente.

XXXIII.

Marcus enim mulieres τὰς μεσοφάγους valdè manè, *c. 16. v. 2.*
Lucas, profundo diluculo, *c. 24. v. 1.* Johannes, cum adhuc essent
tenebræ, *cap. 20. v. 1.* adfuisse asserunt.

XXXIV.

Unde Christum quoq; summo mane, cùm adhuc essent tenebræ, profundo diluculo, primâq; aurorâ rediisse, constans plurimorum est sententia.

XXXV.

In qua, ut verissimâ, nos quoq; acquiescimus, & pro Quæstionis decisione concludimus, *Christum resurrexisse à mortuis die tertiâ, finito Sabbatho, die hebdomadis primo, quem nos diem Solis, aut potius Dominicum appellare solemus.*

XXXVI.

Quare autem tertiâ demùm die, & non antè, vel post illud triduum, quarto, quinto, sexto die resurrexerit, causæ à Patribus redduntur variæ.

XXXVII.

Nos breviter has adducimus. *Ante triduum* resurgere noluit, tum, ut mora esset inter mortem & resurrectionem: tum, ut mors ejus crederetur esse vera.

XXXVIII.

Non post triduum 1. ut impleret Scripturam, *Matth. 12. v. 40. Luc. 18. v. 33. Job. 2. v. 19.*

XXXIX.

2. Ne quispiam objiceret, ipsum non idem, sed aliud circumferre corpus.

XL.

3. Ne turbatos discipulorum animos longa cruciaret mœstudo.

APHORISMUS III.

CHRISTUS resurrexit propria virtute divinâ.

XLI.

Assignatur virtus isthæc in Scripturis modò DE O Patri, ut *Rom. 4. v. 24. cap. 6. v. 4. & c. 8. v. 11. Hebr. 13. v. 20:* modò ipsi Christo, ut *Job. 2. v. 19. & c. 10. v. 18. Rom. 1. v. 4.* modò simpliciter Deo, ut *Act. 13. v. 30. 2. Cor. 13. v. 4. Eph. 1. v. 20. Coloss. 2. v. 12.*

42. Quæ-

Quæritur ergò, quâ virtute Christus resurrexerit, an propriâ, an alienâ.

XLIII.

Verùm salva res est: attendatur modò ὁμογενεία vocabuli, & ultrò patebit, nulli horum aliquid in hoc opere derogari, licet habeant quandam actionis participationem.

XLIV.

Virtus enim illa, quâ Christus à mortuis resuscitatus dicitur, consideratur *bifariam*: vel ἁπολυτῶς & absolute, vel ἑνωστικῶς & relate.

XLV.

Absolute considerata communis est toti Trinitati. Opem enim Trinitatis ad extra, ut habet Augustini Maxima, communia sunt & indivisa.

XLVI.

Atq; ita resuscitatus dicitur virtute Dei Patris.

XLVII.

Relate considerata propria est uni alicui certæ Trinitatis personæ, secundæ videlicet, quæ est Christus.

XLVIII.

Et sic virtute propriâ seipsum excitavit, & quidem secundum utramq; naturam.

XLIX.

Secundum divinam, communicatâ sibi à Patre per æternam generationem.

Secundum humanam, per personalem unionem.

L.

Sicut enim caro Christi alios exsuscitare potuit mortuos. Ita quoq; ad sui ipsius resuscitationem suam addidit ἑαυτὸν μέγ.

LII.

Ita tamen: non quod efficaciter operando concurrerit: tum enim in sepulcro existens potentiâ vivificandi ratione ζήσεως profundissimè se exinaniverat: sed quatenus hæc virtus divinæ quidem naturæ erat propria, humanitati autem assumptæ realiter communicata.

LIII.

Quæ etsi quoad carnem, quoad animam tamen ab actione ista minimè debet excludi, quippe quæ reunivit & resuscitavit sibi corpus proprium.

LIV.

Rectissimè igitur ac verissimè Christus seipsum propriâ suâ virtute à mortuis resuscitasse dicitur.

APHO.

APHORISMUS IV.

CHRISTUS resurrexit novâ exor-
natus gloria.

L V.

Duplex est corporis Christi gloria *Finita & Infinita.*

L VI.

Hanc obtinet atq; habet, quatenus à primo statim conceptio-
nis, sive incarnationis momento aeterni & infiniti τὸ λόγος perso-
næ unitum est, quoad actum primum.

L VII.

Quoad actum verò secundum in statu exinanitionis non nisi ra-
rò Christus eam voluit exercere, puta, cum pro liberrima sua volū-
tate ad θαυματουργίας & miracula patranda, quosdam divinæ
sux virtutis emisit radios, e quibus cognosceretur ipsius divinitas
unionisq; mysterium, & confirmaretur doctrinæ cœlestis veritas.

L I X.

Post resurrectionem autem à mortuis ad cœlos ascendens, er-
iam quoad actum secundum divinam illam, jam pridem communi-
catam Majestatem, plenariè cepit exercere.

L I X.

Illam accepit, quatenus ex resurrectione corpus est gloriosum.

L X.

Consistit autem gloria illa in primarijs quatuor glorificato-
rum corporum qualitatibus, videl. ἀφθαρσία, δόξη, δύναμις, καὶ
ποιότης πνευματικῆ. Quæ optimè deducuntur ex 1. Cor. 15. cap.
v. 42. 43. 44.

L X I.

Sch. lastici vocant qualitates impassibilitatis, claritatis, agibilita-
tis & subtilitatis.

L X II.

Quæ quidem qualitates glorioso Christi corpori inhaerent
subjectivè.

L X III.

Cui & nostra corpora aliquando, in alterâ vitâ, reddetur con-
formia, teste Apostolo Phil. 3. v. 21. servatis tamen graduum diffe-

B

rentijs

rentijs 1. Cor. 15. v. 41. κατὰ τὸ ποῖον, non κατὰ τὸ πῶσον, secundum
qualitatem & speciem, non quantitatem & magnitudinem.

LXIV.

Quod autem Christus *Cicatrices & stigmata clavorum* in Sacro-
 sancto suo corpore etiam post resurrectionem retinuerit, factum
 illud esse affirmamus, non ex *natura necessitate*, sed *liberâ voluntate*,
 non ex *corporis dispositione*, sed *Domini dispensatione*, ἢ νόμῳ φύσε-
 ως, ἀλλὰ τὸ πῶ οἰκονομίας, uti loquitur Damascenus lib. 4. c. 1. ut
 hinc resurrectionis suæ veritatem ac certitudinem comprobaret
 discipulis.

LXV.

Unde scitè Augustinus: *Retinuit cicatrices in corpore, ut sana-
 ret vulnus dubitationis in corde.*

LXVI.

Uti & de *quadraginta illis diebus* quibus post resurrectionem
 discipulis apparuisse, & innotuisse legitur, hoc affirmandum pu-
 tamus, quòd, quotiescunq; illis apparuerit, in *Mundo* quidem fue-
 rit: verum non *mundanâ ratione aut modo*, sed *novo quodam ac sin-
 gulari, pro singulari sua οἰκονομία ac bonitate.*

LXVII.

Non enim amplius habuit corpus ψυχικόν, & corporum a-
 nimalium proprietatibus subiectum, sed πνευματικόν, & novis
 qualitatibus præditum.

LXVIII.

De *cibo*, quo Christus post resurrectionem usus est, idem esto
 iudicium.

LXIX.

Neq; enim concoctus aut digestus est in ventriculo, (hoc er-
 nim animalium est, non spiritualium corporum) sed eo ipso mo-
 mento, quo assumtus, glorificati corporis naturâ, quasi igne quo-
 dam absorptus.

LXX.

Hinc eleganter Beda super *Lucam*. *Aliter, inquit, absorbet
 aquam terra sitiens: aliter Solis radius calens: illa indigentia: hic po-
 tentia.*

*CHRISTUS resurrexit clauso
sepulcro.*

LXXI.

Resurrexisse Christum à mortuis clauso sepulcro, *boc est*, corpore suo glorioso lapidem sepulcri obsignatum, eo ipso momento, quo resurgebat, re verà, sine offensione penetrasse, evadet manifestum, si historiam Resurrectionis, ejusq; seriem & contextum accuratè consideraverimus.

LXXII.

Ita autem habet *Matth. 28. c. Vesperâ Sabbatorum lucescente in unam Sabbatorum, venit Maria Magdalena, & altera Maria, ut viderent sepulcrum. Et ecce terra motus factus est magnus. Angelus enim Dei descendit de cælo, & accedens revolvit lapidem ab ostio, & sedebat super eum. Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, & vestimentum ejus candidissimum, sicut nix. Præ timore autem ejus concussi sunt custodes, & facti sunt velut mortui: Respondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos. Scio enim quod lesum, qui crucifixus est, queritis: Non est hic, surrexit enim, sicut dixit: Venite & videte locum, ubi positus erat Dominus.*

LXXIII.

Exinde novam elicimus quæstionem, quippe quæ plurimum facit ad præsens nostrum institutum: *Cur videl. Angelus è cælo descenderit, & lapidem ab ostio sepulcri removerit?*

LXXIV.

An eo fine, ut resurgere posset Christus? Minimè gentium. Per hanc ipsam enim resurrectionem declaratus est Dei Filius, Rom. 1. v. 4. & omnium creaturarum Dominus, c. 14. v. 9. Angelorum ergò ope ad eam non indiguit.

LXXV.

Qui enim suâ virtute potuit corpus suum excitare in sepulcro, potuit eadem virtute sepulcrum egredi ostio, occluso grandi illo saxo, ut miraculo sit excitatus, & miraculo egressus, nullâ operâ Angeli, piè scribit Marloratus super 28. c. Matth. contra alios ex suis asseclis.

LXXVI.

Voluit autem Angelus *descensu suo* imprimis testari *λεπτεργίαν*, sive *διακονίαν* Christo debitam.

LXXVII.

Remotione verò lapidis ministrare voluit mulieribus, ut amoto lapide vacuum introspicere possent monumentum, adeoq; de Christi resurrectione, jam *ὄντως* factâ & peractâ, certificari.

LXXVIII.

Quod enim Maria Magdalena, & altera Maria venerint, ut viderent sepulcrum, expressè tradit narratio Evangelica.

LXXIX.

Ideò digito quasi indice ad sepulcrum directo hâc utitur *προσφωνήσεται*: *Συιο*, quod *Ιησὺν*, qui crucifixus est, queritur: *non est hic, surrexit enim, sicut dixit: venite & videte locum, ubi positus erat Dominus.*

LXXX.

Cum ergò Angelus, *vi textus allegati*, lapidem post resuscitatum demùm Christum ab ostio sepulcri devolverit, intrepidè statuimus, *Christum hunc ipsum lapidem corpore suo glorioso penetrasse, perrupisse, & pertransisse.* Id quod erat demonstrandum.

LXXXI.

Probat hoc ipsum fusiùs veneranda *Antiquitas.*

LXXXII.

Hieronymus *Epist. 150.* *Non existimandum, inquit, ideò venisse Angelum, ut sepulcrum aperiret Domino resurgenti: sed postquam Dominus resurrexerat, eâ herâ, quâ ipse voluit, & qui nulli mortalium cognita, indicasse, quod factum est, & sepulcrum vacuum revolutione lapidis, & suâ ostendisse presentiam. Surrexerat enim Christus lapide & signis impositis.*

LXXXIII.

Theophylactus in *c. 28. Matth.* *Resurrexit Dominus lapide adhuc super sepulcrum posito. Postquam autem resurrexit Dominus & Angelus venit, ut devoluto lapide accessum haberent mulieres ad sepulcrum.*

LXXXIV.

Justinus Martyr *quest. 117.* *Non excitationis ejus gratia saxi demum monumento facti est devolutis, sed eorum causa, qui id conspexerunt, ut ipsi resurrectio ostenderetur. Et Sexcenti alij.*

337
 XXXV.

Quæ ergò impudentia est, fingere, idcirco opus fuisse Angeli ministerio, ut remoto lapide Christus egredi posset monumento, sicut crassus Prætor rubris indutus caligis? Quæ Zwinglij verba sunt, part. 1. tom. 2. in respons. ad Confess. Lutheri.

XXXVI.

Quæ ἀσολία, opponere penetrationem dimensionum, quæ tanquam contradictionem implicans simpliciter sit impossibilis omni naturæ, Piscator in Matth.

XXXVII.

Annon enim, ex sententia & verbis Augustini c. 45. lb. de cognit. vera fidei, sanctorum corporibus omne solidum futurum est penetrabile?

XXXVIII.

Annon, juxta Cyprianum in serm. de Resurrect. caro erit sine mole & pondere, nullis clausa obstaculis, penetrans omnia, quocumque voluerit, sine impedimento discurrens?

XXXIX.

Quid? annon alia conditio est corporis Christi, non solum glorificati, sed etiam ἐκ ἰδίου τῆς λέξεως ὑψ. & assumti, cui etiam penetrantia supernorum patuerunt? ut loquuntur Gregorius Nyssenus Orat. 2. de Resurrect. & Augustin. Serm. 156.

XC.

Dicimus ergò cum Augustino ex Epist. 3. DEUM aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.

XCI.

Est & huic cognata altera illa quæstio, de Apparitione, quæ quaritur: An post resurrectionem Christus ingressus sit ad discipulos, januis clausis & obseratis?

XCII.

Id quod disertè affirmat historia Evangelica, Job. 20. v. 19.

XCIII.

Nemo ergò fores ei aperuit, nec spontè illi patuerunt, vel ipsi parietes pervij fuerunt, ut habet glossa marginalis Bezae.

XCIV.

Nec successit & pedentim in medium ipsorum progressus, sed, ut Poëta Christianus canit,

Improvisus adest, & inobservabilis Heros,

B. 3

Cum

Cum clausa mansere fores, mansere fenestra.

XC V.

Itaq; repentinâ & improvîsâ ejus præsentîâ perterrefacti discipuli, putabant se videre spiritum, seu spectrum, annotante Luca

c. 24. v. 37.

XC VI.

Quod suspicari haud facilè licuisset, si solito more, apertis scilicet januis, localiter ad eos fuisset ingressus.

XC VII.

Et Johannes, *multa*, inquit c. 20 v. 30. *Et alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum*, significantibus sanè verbis confirmat, ingressum fuisse verè miraculosum.

XC I X.

Rectè igitur scripsit Augustinus *Serm. 156. de tempore: Quomodo eum repellere potuit objectus repaguli, quem non coercuerat pondus sepulcri? Imò, quomodo eum excludere potuit obscurata domus, quem includere non potuit porta mortis?*

XC I X.

Et vicissim *Serm. 159. Si vera, inquit, caro fuit, qua resurrexit, quomodo ipsi januis clausis ad discipulos intravit? Redde mihi rationè, ó homo. Si rationem à me postcis, non erit mirabile. Si exemplum queritur, non erit singulare: Credis nempe Dominum Christum super aquas maris firmis gressibus ambulasse? credis utiq;. Dices igitur mihi: Si per ostia clausa intravit Christus, ubi est corporis pondus? Recedant paulisper modus & pondus. Ille hæc fecit, cum nihil est impossibile. Christus, qui carnem suam potuit de sepulcro producere, non potuit clausis januis ad discipulos introire? Quando audis miraculum, serva fidem, non inquirat animus rationem.*

C.

Nec non Cyrillus *lib. 12. in Job. c. 53. & 57. Omnipotentia sua, natura rerum superata, clausis foribus ingressus est Dominus. Nullus ergo querat, quomodo clausis januis corpus Domini penetravit, cum intelligat, non de homine nudo, ut nos sumus, sed de omnipotenti Filio Dei hæc scribi: Nam cum Deus verus sit, rerum naturæ non subjacet, quod in cæteris quoq; miraculis patuit. Ita super maria quasi super aridam ambulavit. Quod si hanc operationem Christi percipere nequeas, cur potius ingenij humani imbecillitatem non accusas? &c.*

101. Et

339
 CI.

Et Chrysoſtomus *Homilia de Baptiſta: Qui intravit per oſtia* clauſa, non erat phantasma, nō erat Spiritus, verè corpus erat, dicit enim, *palpate & videte, &c. Sed quomodo clauſis oſtijs introiverunt oſſa & caro? Clauſa ſunt oſtia, & intrat, quem intrantem non videmus. Unde intravit? Omnia clauſa ſunt, locus non eſt, per quem intrat, & tamen intus eſt, qui intravit. Neſcis, quomodo factum ſit. Des hoc potentia*

DEI.

CII.

Rationibus & testimonijs hiſce adedò permotus eſt Marloratus, ut gregalium ſuorum opinionem deſeruerit, & apertè ſcripſerit in c. 10. *Job. Quod Chriſtus januis clauſis venit ad diſcipulos, divina in illo potentia illuſtre ſpecimen continet. Nam, quòd putant, reſeratas illi fuiſſe fores per aliquem, aut humano more ingreſſum, proſus à mente Euaſgel ſte diſcrepat. Sic igitur habendum, Chriſtum non ſine miraculo ingreſſum.*

APHORISMUS VI.

CHRISTUS reſurrexit multiplici cum fructu.

CIII.

Quæſtio hæc de *Fructibus Reſurrectionis Chriſti*, quantumvis ad ſuggeſtum magis, quàm ad cathedram Academicam ſpectet: attamen quia hiſtorica myſterij hujus fides parùm confert, niſi uſus & finis ſimul expendatur, Coronidis loco eam adjicimus.

CIV.

Eſſi autem Reſurrectionem Chriſti plurimorum pariter & præclariffimorum fructuum reſpectu *ἀγαθὸν ἀγαθὶδα* non immeritò quis appellaverit, tres tamen potiffimùm ſolent numerari.

CV.

Primum, ut compendio verborum utamur, nominare libet *δικαιοποίησιν*, quia Chriſtus reſurrectione ſuâ veram nobis tribuit juſtitiam, tum ratione *Acquiſitionis*, vel *Meriti*: tum *Applicationis*, vel *Efficacie*.

CVI.

Acquiſitionis quidem ac *Meriti* reſpectu, quia niſi peccata noſtra pleniffimè expiaſſet, mors eum captivum retinuiſſet: Unde propter juſtificationem noſtri excitatus dicitur, *Rom. 4. v. 25.*

CVII. Ratione autem *Applicationis* & *Efficacie*, quia ſi in morte man-

te man-

te mansisset: in opere Redemptionis succubuisset, & proinde nec
justitiam nobis conferre potuisset. Et sic inanis foret fides nostra, &
adhuc essemus in peccatis, 1. Cor. 15. v. 14. 17.

CIX. Alterum ἡ ἀνάστασις τοῦ Χριστοῦ, ut Christum securi, nos et-
iam resurgamus à vitijs: sive juxta Aphorismum Apostoli, sicut
excitatus est Christus ex mortuis, ita & nos novam vitam accedamus, Ro-
man. 6. v. 4. Eph. 2. v. 4. 5. 6. Coloss. 3. v. 12.

CIX. Etenim si surreximus cum Christo, qui est justitia, & in vi-
ta novitate ambulamus, & secundum justitiam vivimus, resurrexit no-
bis Christus ad justificationem nostram: si verò nondum deposuimus ve-
terem hominem cum actibus suis, sed in injustitia vivimus, audeo dice-
re, quod nondum surrexit nobis Christus ad justificationem, nec tradi-
tus est propter peccata nostra. Justificat enim eos, qui novam vitam
exemplor resurrectionis ipsius susceperunt, & vetusta injustitia atque
iniquitatis inducentia velut causam mortis abiciunt, scribit Origen.
in Epist. ad Rom. lib. 4. c. 4.

CX. Τὰ ἑκείνη ἀνάστασις τοῦ Χριστοῦ, quia de nostra resurrectione eviden-
tissimè hinc firmamur.

CXI. Is enim qui excitavit Christum ex mortuis, vivificabit &
mortalia corpora nostra, per inhabitantem ejus spiritum in nobis, Rom.
8. v. 11.

CXII. Propterea nominatur ἀναπαύσις τῶν νεκροῦν, pri-
mitia eorum, qui obdormierunt, 1. Cor. 15. v. 20.

CXIII. Unde & ipse Resurrectio fidei jussor est resurrectionis
communis, juxta Theodoretum in Epitom. divin. dogmat. Resurrexit
enim in exemplum spei nostre, inquit alicubi Tertull.

CXIV. Letemur ergò, quòd surrexit Christus, imò, quòd nos jam
in ipso: Etsi enim adhuc resolutio corpusculi maneat, cepimus tamen
in Christo eternam vitam vere: unde quò immo fragilitatem nostram
acceleret immatura mortis occasio, in Salvatore tamen didicimus pri-
us resurgere, quàm perire. In Salvatore enim omnes resurreximus, o-
mnes reviximus, omnes ad caelestia transmigravimus. Est enim in illo
hominis Christo uniuscujusq; nostrum carnis & sanguinis portio.

CXV. Quae dulcissima Augustini verba, Serm. 174. de Temp.
historiae hujus de Resurrectione Christi sunt

F I N I S.

Aug VI 46(1)

ULB Halle 3
003 143 333





82

Reha

15. 17







B.I.G.

Farbkarte #13

325
THEOLOGICÆ
LECTIO
RISTI,
as
sancta & Indivi-
nitatis,
dim Academia,
IDE
Excellentissimo Viro,
RE MEISNERO,
doctore ac Pro-
blico,
gratia tuebitur
NICOLAI
iensis.
poris locoq; consuetis.
ERGÆ,
hannis Richteri,
DC. XVI.

